Universitätsbibliothek Paderborn

# Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Liber V. De Sigillo Confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41773

Visual Library

# LIBER V.
## DE SIGILLO CONFESS.
### CAPVT I.

*Quid ſit, & ex qua Confeſſione oriatur Sigillum.*

Sigillum, de quo hic agimus, eſt obligatio, *a* qua quis obſtringitur, rem in Confeſſione Sacramentali auditam alto ſilentio prorſus obvolvere, & quaſi Sigillo munitam habere. Differt à ſecreto naturali præſertim in eo, quod in hoc nonnulli ſe offerunt caſus, in quibus ipſum negligi poteſt, immo & debet, at in Sigillo confeſsionis nullus omnino hujuſmodi caſus agnoſci poteſt.

a *Vaſq. Henriq. Coninch. mox cit.*

2 Dixi (in confeſsione Sacra-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mentali) ex ea enim, & ſola inducitur hæc obligatio; idque ex jure *b* poſitivo Chriſti, qui meritò in eo Tribunali, allata arctiſsimo Silentio premenda voluit, ne odioſa redderetur Confeſsio, neve Fideles ab illa tranſverſum, ut ajunt, unguem retardarentur.

*b Vaſq de pœn. q. 93 ar. 4. du. 1 n. 10. Henr. l. 6 c. 19 n. 3. Coninc. de pœn. d 9. du. 2 n. 34*

3 Fiet autem odioſa, etiam quando, velut indeterminatè, ea Pœnitentem offenderet: offenderet autem, ſi in aliquo tandem caſu poſſent audita in Confeſſione proferri; licet enim hic caſus ad pœnitentem tunc fortè non ſpectaret, tamen timor, quod aliquando ad ipſum pertineret, meritò eumdem à confeſſione revocaret.

4 Ex dictis habes, ſi quis alicui extra confeſsionem, & ſine ordine ad illam, ſua peccata narret, ſuavè occulta negotia ſub Sigilli confeſsionis pacto communicet; tametſi ex utraq; parte

admit-

admittatur conventio: habes, inquam, non teneri ad Sigillũ, ſed ad ſecretum naturale dumtaxat. Idem erit ſi confeſsionem inſtituas coram Sacerdote, à quo ſcis, te abſolvi non poſſe, ſive quia is juriſdictione careat, ſive quia tibi voluntas deeſt ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, ſed vel loquendi, vel convitiandi Confeſſarium, vel eumdem excitandi ad aliquod crimen, vel agendi quid ſimile. Ratio horum eſt illa, quia in hiſce caſibus res in confeſsione ſacramentali excepta nequaquam eſt.

5 Contra, adeſt obligatio Sigilli quotieſcumque confitetur quis ſub ſpe dolorem, pro ut oportet, concipiendi, licet confeſsionis initio fortaſſe eo fuerit animo deſtitutus: & in univerſum, quoties quis, ſive validè, ſive invalidè, clavibus Eccleſiæ ſe ſubjicit, animo Sacramentũ ſuſcipiendi. Ratio eſt, quia ex ea



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

voluntate, qua aliquo tandem modo intenditur abſolutio ſacramentalis, fit, ut cognitio ratione illius conquiſita, non niſi ex vi Sacramenti conquiſita cenſeatur.

## CAPVT II.

### *Quanta ſit obligatio Sigilli.*

1 TAnta eſt, ut in nullo prorſus caſu, etiam ob ſuam Confeſſoris *a* juſtam defenſionem, etiam ob quodcumque pœnitentis bonum, niſi ex ejuſdem pœnitentis (utpote in cujus favorem inducta eſt) expreſſo, liberoque conſenſu, violari poſſit,

*a De Lug. de pœn. p. 23 ſec 5. n. 15.*

2 Violatur autem abſque dubio ſi de auditis in confeſſione Confeſſor ſermonem miſceat cum altero à pœnitente; nam ſi de iiſdem, cum eodem pœnitente colloquatur; dicam

cap. 5. conſenſus inſuper expreſſus b eſſe debet, ſive verbo detur, ſive facto; facto c inquam, quod conceſsioni actuali æquipolleat, quale eſſet ſi pœnitens extra confeſsionem inciperet loqui de re allata in confeſsione: poſſes enim & tu proſequi, cum ipſum incipere, ſit expreſſa conceſsio. Quare non ſufficit tibi perſuadere auditorum notionem minus ingratam fore pœnitenti, id enim retardaret à confeſsione; cum poſsit ſemper ineſſe timor, ne confeſſarius arbitretur id eſſe mihi gratum, quod ingratiſsimum eſt. Liber d item conſenſus eſto: non ergo dolo, non minis, non metu reverentiali extortus; nam ſecus perinde eſſet, in ordine ad mores; ac ſi nullus aſſenſus præceſsiſſet. Quemadmodum autem liberum eſt pœnitenti licentiam concedere revelandi; ſic & conceſſam, cum

b *Fagund. 2. Eccl. præc. c. 16 §. 1. n. 14. aliique mox cit.*

c *Bon. de pœn. d. 5. q. 6. ſect. 5 p. 4. n. 10.*

d *Idem & Henr. l. 3 de pœn. c. 13. n. 4.*

cum libuerit, revocare *e* libe-
rum eidem eſſe, non eſt ambi-
gendum.

*e Sà genuinus v. Confeſſor n. 32. ex purg. n 30. Pag. l 4. n 18. Laym. l. 5. tr. 6 c. 14. n. 16.*

3 Si cujuſpiam, immo Regi[s]
extremum urgeat diſcrimen; pa-
tefacere non licet criminoſum
pœnitentem. Solùm, inſtante
gravi alicujus periculo, potes,
&, juxta caritatis regulas; a-
ſtringeris generatim admonere
eum, ad quem pertinet, modo
non ſubſit periculum quidpiam
contra pœnitentem ſuſpicandi.
Quod autem arcendus ſit pœni-
tens ab abſolutione, niſi ſi poſ-
ſit, obviet per ſe, vel per alium
ſimilibus periculis; pro certo
Prudens dico (pœnitens) nam
utrum Confeſſario incumbat id
ſe, ex licentia pœnitentis, ſuſci-
pere ejuſmodi onus obviandi;
di; in ſuperioribus *f* diſputavi-
mus.

*f Sup. l. 3. c. 9. §. 4.*

4 Præterea ſi de peccato co-
to in confeſsione, vel à ſupremo
ipſo judice interrogeris; illud
nega-

negare etiam cum juramento, intellecta aliqua mentis reſtrictione, g potes, & debes: quamvis ſine ulla omnino reſtrictione interna, loqui jubeat, qui interrogat.

g *Doct. cit. & paſſim.*

5 Denique ſi Confeſſor fortè peccavit, dum alicujus Confeſſionem excepit, nec poſsit ejuſmodi ſuum errorem confiteri, niſi ſuo pœnitente, poteſt, obligaturque non integrè confiteri: enarret cætera peccata, ſileat de hoc, donec detur copia Confeſſoris, qui pœnitentem non cognoſcat; arctiorem enim obligationem inducit Sigillum, quod bonum univerſale ſpectat, quam integritas materialis Confeſſionis.

# CAPVT III.

## Quænam cadant ſub Sigillum.

### §. 1.

*Peccata, Laus, Confeſſio, Pœnitentia impoſita.*

*a Doctores cit. & paſſim.*

2 CErtum eſt Primo *a* om-
nia mortalia, etiam in
univerſum, & omnia venialia
ſigillatim, ſi ſignificetur pœni-
tens, cadere ſub Sigillum, non
vero venialia generatim, Ra-
tio illius eſt, quia ſic redditur
Confeſsio odioſa, cum ea de
pœnitente ſciri in ipſius inju-
riam redundare vel ſoleat, vel
poſsit. Ratio hujus eſt, quia nul-
la in hoc apparet injuria, cum
per ſe notum ſit, ut qui confite-
tur, ſaltem aliqua venialia con-

fiteatur. Id tamen perſæpè periculo expoſitum eſſe fateor; ut ſi in concurſu verb. gr. duorum, dum ſiles de uno. ſic prædices de altero. *Hic non eſt confeſſus niſi venialia* Idemque evenit non raro, ſi unum tantum modo laudes: tacendo enim de altero videris de eodem aliquid gravis momenti cognoviſſe, In concurſu, inquam, nam ſeorſim non facile apparet tale periculum, ſi quis in hanc formam proferat. *Hic mihi confeſſus eſt multa, vel gravia venialia*, Sigillum frangit, *b* quia id cedit in vituperium tandem aliquod pænitentis, Immo ſi quis tecum confeſſus ſit ſecretò. & tu palam dicas; *Hic mihi eſt confeſſus*: vereor ne ad Sigilli fractionem accedas, cum id ingratum ſupponatur pænitenti, & fortè eius conſuetus Confeſſor, vel alij aliquid grave de ipſo ſuſpicabuntur. ex eo indicio, quod alium à ſuo clan-

b *Hurtad de pæn. d. 12. diſ. 4. aliq.*

culum adierit. Huc reducitur ſi Confeſſor revelet pænitentiam pænitenti impoſitam, vel publicè peragendam imponat, ſed gravem, ideſt quæ conſvevit injungi pro mortali, qualis nunc eſſet (ait Diana d) corona Beatiſſimæ Virginis non vero unicum (Miſerere) quia hoc loquendi modo, præbetur, ut dictum eſt; occaſio grave quidpiam adverſus pænitentem ſuſpicandi.

d *Diana p.5 Tr.*11 *reſ.*31.

## §. II.

*Peccata in genere, ut audita: & quid ut audita in tali loco.*

3 NOn erit autem contra Sigillum peccata audita, etiam ſignatè ut in confeſſione audita, abſque ullo periculo, quid conjiciendi adverſus pænitentem, enarrare? id tamen propter periculum, quod fortaſſe latet, rudiumque ſcandalum,

lum, reprehenderem cautus. Atque hoc quidem ſcandalum communiter adeſſe, quando dicitur. *Hoc audivi in Confeſsione,* docet Fagundez e Verum eſt temperandus; quia, in noſtra ætate tam cultâ, pauci admodum ſunt, quos vera de hac re, ſolidaq; doctrina prætereat.

4 Quid ſi detegatur locus, vel familia: ut ſi Confeſſarius ſic enunciet. *Eo in loco ſolet hoc peccatum committi.*

Dico, ſi id evulgetur f de loco magno; non eſſe contra Sigillum: eſſe, ſi de parvo. Ratio eſt, quia nulla fit injuria, ſi de numeroſa Civitate affirmetur, ibi perpetari peccata: fit ſi de raro populo, vel familia, quæ certè ex illo dicto infamia notaretur. Immo injuſtè item notaretur, tametſi id dicendi conceſſiſſet licentiam pœnitens; quia ipſe, utpotè unus, cedere nequit juri totius familiæ. Merito ergo Tur-

e *Fag.* 2. *Eccl præ. l.* 6 *c* 5. *n.* 11. *fin.*

f *Delugo l. c. ſec.* 3. *n.* 63 *aliique quidquid dicant alii apud Dianam p* 2 *tra, Miſ.* 1. *alias.* 15 *reſ.* 13.

g *Turr. de pæn, q.* 11 *ar.* 1. *d* 33 *d* 1. *apud Dianam p.* 5. *trac.* 11. *reſ.* 45.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tianus g reprehendit Superiorem localem, qui Provinciali forte dicat: *In hac domo, ſeu Collegio ſæpe poſtulatur licentia abſolvendi à Reſervatis*; quia nimirum id redundat in ignominiam, & non raro in damnum domus. Vide infra c. 4 num, 2. ubi fatebimur non fieri improbabile id non eſſe contra Sigillum, ſi dictæ licentiæ poſtulatæ extra confeſſionem fuerint.

g *Turr. de pœn. q. 11. ar. 1. d. 33. d 1 apud Dianam p. 5 trac. 11. reſ 45.*

## §. III.

### *Peccata publica.*

5 CErtum ſit Secundò, peccata pœnitentis, etiam h publica, tacenda eſſe. Immo ſi ſciviſti aliunde, quamvis non pecces, quantum eſt ex vi Sigilli, ſi ea aliis palam facias; tamen id tibi cautè præſtandum eſt, ne oriatur ſcandalum, nevè limite[s] notitiæ, extra confeſsionem hab[itæ]

h *Sotus in 4. diſt 18. q. 4. ar. 5.*

habitæ tranſcendantur. Duobus item, qui pænitentem de iiſdem peccatis ſe accuſantem audiverunt, non licet, i de illis invicem colloqui, quia uterque Sigillo obſtrictus æqualiter eſt. *i De Lugo dicta diſp. 23. ſect. 5. n. 128.*

## §. IV.

*Complices, Obiecta peccati,*

6 CErtum eſt Tertio l omnes circumſtantias peccatorum, & omnes complices cadere ſub Sigillum. Idem de objectis peccatorum Dicit v. gr. pænitens ſe oblocutum eſſe contra Bertæ adulterium: obſervanda eſt Sigillo tum oblocutio, tum adulterium, quod eſt ob locutionis objectum, ſeu materia. Niſi enim id ita eſſet, evaderet ſatis odioſa confeſſio. Vide paulo poſt n. 14. *l Doctores citati, & paſſim.*

7 Quid ſi pænitens expreſ-

ſam concedat veniam Confeſſori, complicem revelandi, (idem erit de objecto) ſi illum revelet Confeſſor; frangetne Sigillum? Frangere docet Vaſquez; *m* quia ſacrum Sigillum urget in favorē complicis, nec ſolius pænitētis: ut ſic univerſa cauſa, quæ agitatur in confeſſionis Tribunali, ſit ſtrictiſsimo ſilentio obvolvenda. Non frangere docet Suarez *n* (eſto peccetur, ſi quid prodatur, unde complicis honor deturpetur,) quia Sigillū obligat in favorem dumtaxat pænitentis: ſi ergo cedit juri ſuo: non eſt cur complicis factum Sigillo gaudeat. Vtraque ſententia probabilis: illa Vaſquez probabilior, quia magis Sigillo favens.

*m Vaſqu. de pæn q. 93 ar. 4. du 5. n. 5.*

*n Suarez de pæn diſt. 34 ſect. 3 n. 7*

*o Suarez l. c ſect. 4. n 4 & 5 quidquid dicat Tanne. de pæn d6 q 9. dub 6 nu, 146.*

8 Vnum hic adverto, poſſe quidem Confeſſarium, habita facultate à pænitente, complicem monere, reprehendere, &c. niſi quando illa notitia eſſet injuſta, & contra Religionem; ſed duo

duos ſcopulos eſſevitandos: alterum, ne Confeſſarius facile ad hoc ſe ingerat, de qua re diximus alibi; *p* alterum ne nimio zelo ductus eam licentiam facile à junioribus expoſcat; in his enim non raro exortæ conceſſionis periculum latet.

p *Supra in M. b. Confeſſ. lib.* 3.c.9. §.4.

## §. V.

*Peccatum committendum.*

9 CErtum ſit Quintò, peccatum committendum *q* v.gr. conceptam voluntatem interficiendi inimicum, ſi patefiat Confeſſariò à pænitente, non quidem animo peccatum eludendi, ſed illud v.g. enarrandi, &c. ex dictis cap. 1. n. 4 non occludi Sigillo: at ſi aperiatur animo utcũq; confitendi ſive inchoatè ſive cum ſpe concipiendi dolorem, ſive alio modo non abſimili; eſſe Sigillo reprimendum.

q *Fag. Co n. ng Henriq. apud Dian. p.* 5 *tract.* 11. *reſ.* 25.

Ratio eſt, quia in priore caſu nulla adeſt confeſſio Sacramentalis, adeſt utcumque in poſteriore.

§. 6.

*Quæ per errorem, ut neceſſaria, quis fatetur.*

10 Certum ſit Sextò, ea, quæ peccata non ſunt, ſed ut talia Confeſſori afferuntur, & rurſus omnia quæ neceſſaria vel utilia ſive ſunt, ſive etiam, r ab errante pænitente, ut talia ad explicandum ſuum peccatum judicantur, eſſe Sigilli materiam; quia iam ex vi confeſſionis ſacramentalis audiuntur.

r *Malder. tra de Sig. c. 15.*

11 Dices: ergo ſi pænitens, ad ſuum crimen exprimendum dicat ſe eſſe Sacerdotio initiatum, ſe eſſe Religioſum, Conjugatum, Militem, &c. Confeſſori non liceret hæc divulgare: quod

quod certè nimis eſt ſcrupuloſum.

12 Reſpondeo hac in re diſcretione opus eſſe; quæ enim dicuntur ut neceſſaria, vel utilia ad explicationem peccati, duplicis generis eſſe poſſunt. Nonnulla ſunt ejuſmodi, ut ægrè ferat pænitens, ſi illa ſciantur. Nonnulla verò, ut ſi noſcantur, nihil laboret pænitens; Illa ergo vulgari poſſunt, f hæc non item; quia ex horum non verò illorum revelatione fit odioſa confeſſio. Quare ſi ſcires, eſſe v. gr. coniugatum nihil obſit pænitenti; prout libet, id evulgare potes; at ſi obſit, ut quia v. g. ejus Dominus cælibem ſervum, non uxoratum expetit; edicere tibi nequaquam licet.

f Delug. de pænit. diſp. 23. ſec. 3. n 37

§7

## §. VII.
### *Defectus naturales.*

13 HInc ſolvitur ea celebris difficultas An Confeſſori tutum ſit patentes facere defectus naturales pænitentis ex ſola confeſſione cognitos v. g. eum eſſe ſpurium, ignobilem, ex genere Iudæorum, &c.

Dico enim, ſi ij ita â pænitente referantur, ut ex adjunctis colligatur eos eſſe communiter notos, poſſe patefieri; *t* ſecus non poſſe. Ratio eſt, quia quando ſunt noti, præſumimus à pænitente non ſubijci confeſſioni, niſi ut cognitos, atque adeo parum ab ipſo curari, ſi manifeſtò ſciantur, ſi ipſe expreſsè nõ prohibet. At quando noti ſunt, id non præſumimus. Ni ſic decernamus, magnum damnum à confeſsione timeremus, cum quis non rarò mallet ſciri ſe eſſe adul-

*t Id. ib.*

dulterum, quam ſpurium, vel Iudæum: & Beneficium quidem petenti plus nocebit; ſciri eum eſſe legitimum quam adulterum Scio *u* quoſdam indiſcriminatim concedere ejuſmodi promulgationem, ſed non ſunt audiendi, quia clarè id vergit in odium Sacramenti

u Vaſq. dub. 2. n. 2

14 Rurſus ex his collige limitationem circa dicta numer 6. de objectis peccatorum. Si enim Ioannes v. gr. fateatur ſe gaviſum eſſe de occiſione facta ex rixa à Petro in foro publico, & a l ter ſe gaviſum eſſe de occulto adulterio Bertæ: puto integrum eſſe Confeſſario notum facere homicidium, rixamq; Petri, non verò adulterium Bertæ; Ratio ducenda eſt ex dictis, quia illud homicidium pænitens ſupponit eſſe omnibus notum, quod tamen per accidens latebat Confeſſarium, adeoque non videtur Sigillo committere, non ſic

adulterium, quod occultum per ſe eſt.

## §. VIII.

*Dicere, Eum non abſolvi.*

15 CErtum ſit ſeptimo, eſſe x contra Sigillum, quidquid neget Cajetanus dicere. Hic mihi confeſſus eſt, ſed à me non abſolutus. Licet enim illum non abſolvi, ex varijs cauſis oriri potuerit; potuit tamen facilè evenire, ut frequentiſſimè aſſolet, propter ejus gravem indiſpoſitionem, ad quam ſuſpicandam, concurrere non licet Confeſſario. Immo, etiam ſi is pronunciet: Nondum abſolvi, quia confeſsionem non finivit, frangeret y Sigillum; quia communiter iſta longa confeſſio vel notat multa peccata, vel certè aliquem defectum pœnitentis. Excipio, quando con-

x *Caet. v. Confeſſor neceſſaria*

y *Grana. de Sacr. contr. 7. tr 11 d. 6. n 2. contra Suarium cit. a Diana par. tr 11 reſ. 42*

confeſſi, eſſet generalis totius vitæ, vel alterius longi temporis idque omnibus eſſet notum, vel pænitens non ægrè ferret, quod ſciretur à pluribus.

## §. IX.

### *Teſtimonium de Confeſſione*

16 HInc colligit *a* Coninch quando famuli, vel Scholares debent Superioribus teſtimonium ſuæ confeſſionis afferre; debere Confeſſarios illud dare [intellige ijs, qui confeſſionem ſaltem inchoarunt, licet propter aliquid, abſolutionis beneficio caruerint. Ratio eſt, quia ſi non darent proderent indiſpoſitionem eorum quam ex inchoata confeſſione cognoverunt; nec, dando, mentientur, quia iam illi initium fecerunt confeſſionis. Quod ſi nullo modo ne inchoatè quidem,

a *Coninck de pæn. d.* 92 *n* 24 *Fag. p1, Eccl lib* 6 *c.* 4 *n.* 4.

dem, ijſdem confeſſi ſint; petant autem dictum teſtimonium, etiam genibus flexis, facta cruce, & recitato Confiteor, &c. non video *b* cur debeat Confeſſor dare (niſi fortè prudentia dictet utile eſſe conſilium ſemel, aut iterũ inveni ſic accedenti more, æquivocando gerere; ut illum confeſſarius hac indulgenti humanitate lucretur] Nec video cur, quantum ex vi Sigilli, nam ceterum caveatur ne pænitentis fama, apud quos non pertinet, deturpetur, cur, inquam, nequeat dicere. *Hic non eſt confeſſus.* Hanc enim negativam non ſcit ex vi illius confeſſionis.

b *Bonac. de pæn d, 195 ſec. 5 p. 4. n 7.*

## §. X.

*Defectus, qui videntur in ipſa Confeſſione.*

17 ILla igitur ſola ſupereſt hic difficultas, An liceat tene-

re defectus, quos Confeſſor animadvertit in ipſa confeſsione, ſic verb. g. proferendo. Hic eſt ſcrupuloſus, impertinentiis, & næniis tempus conterit, eſt moroſus, indoctus, &c. Negant non pauci, *c* quia ſaltem id eſſet indirectè contra Sigillum. Concedit Delugo, *d* cujus hæc ferè ſunt verba. Verius credo hæc non cõtineri ſub *Sigillo*; quia defectus alij manifeſtantur à pænitente ad declarandam ſuam conſcientiam, & peccata, & hi continentur ſub Sigillo; alij fiunt ſibi ab ipſo pænitẽte, quos Confeſſarius non audit ex relatione pænitẽtis ſed ipſe eos videt, & percipit; & hi, ſicuti non dicuntur ſecretò, ſic non ſunt ſub ſigillo. Nam ſi pænitens ſit blæſus, ſi rudis, ſi hebetis ingenij, ſimiliter ſi ſe oſtẽdat naturæ moleſtæ, irreſolutæ, durioris ad credendũ, pari modo fidum confitetur, committat aliquam blaſphemiam, contu-

*c Gran l. citt r 11. d. 3 Coninch l c. n 12. Hurt de pæn. diſp. 12 diff. 4 Bauny tr 4 de pæn. q. 5. de Sigil. Conf. fin. Caſtr. de pænit. princ. 39. § 3. n 9*

*d Delugo de pænit. d 23 ſect. 3 n 60 cum Navar cap. 8. n 12.*

me-

meliam in Confeſſarium, & ſimilia; non erunt hæc ſub Sigillo, quia in confeſſione fiunt, non audiuntur.

18 Sed certè huic doctrinæ, quamvis communem immeritò vocet Diana *e* (ut quid enim vocetur communis, cui tot Authores littera E, citati refragantur?) Huic, inquam, doctrinæ, ne ut probabili quidem, acquieſco, ex illo principio ſuperius ab omnibus jam admiſſo. Quod quidquid injuriam facit pænitenti, ſeu quidquid ægrè is ferit, ut evulgetur, cadit, ne odioſa ſit confeſſio, ſub Sigillum; at ejuſmodi ſunt ea, de quibus diſputamus. Et ſanè (ut in ſimili docet idem Delugo ſupra à nobis numer. 13. allatus; nonnunquam pænitens mallet ſciri ſe peccaſſe mortaliter, quam eſſe ſcrupuloſum, vel moroſum, &c. Quid ſi ageretur de promovendo tuo Pænitente in Prælatum, &c.

*e Diana p 5. Tr 1, reſ. 50.*

& tu patefaceres eum eſſe irre-ſolutæ naturæ; moleſtene id ipſe ferret, nec ne? At hi defectus videntur à confeſſario. non audiuntur. Claudicans effugium: quando enim Doctores omnes ſupra pronunciarunt illud, omne quod reddit onerosam confeſſionem, eſſe tacendum; indifferenter pronunciarunt, nec diſtinxerunt de auditione, vel de viſione, & quidem meritò; perinde enim unum retardat à confeſſione atque alterum; & diminutè Chriſtus DOMINVS huic malo occurriſſet, niſi pariter prohibuiſſet utrumque, quando ex vi confeſsionis ab ipſo inſtitutæ ſimiles defectus deprehendunt.

19 Aio igitur ſic eſſe diſtinguendum. Vel hi defectus pænitentis paſsim ſunt noti, ut eſſe blæſum, caluum, &c. & tunc non cadunt ſub Sigillum, propter rationem in ſimili dictam

num.

num.13. vel ſunt ignoti, & tunc
cadunt ? ut nimirum ab omni o-
dio immunis fit confeſsio. Qua-
re ſi eſſe rudem, ſcrupuloſum
&c. ſit omnibus notum, palam
pronuntiari poterit: non verò, ſi
ignotum. Blaſphemiæ autem il-
læ, vel ſimilia commiſſa in ipſa
confeſſione : ideo poterunt ma-
nifeſta fieri ; quia illa vera con-
feſſio non eſt, juxta dicta cap. 1.
num.4.

## §. XI.

*Peccatum dubie notum.*

20 PEtes; ſi confeſſarius ani-
pendeat, an peccatum a-
liquod ſit ſibi ex confeſſione no-
tũ; obſtringiturnè ſigilli vincu-
lo, Reſpondeo, obſtringi. Ratio
eſt, quia ne moleſta ſit confeſ-
ſio; præſumendum eſt pro Si-
gillo. Quare hic locum non ha-
bet libertas loquendi, qua p-
tit...

titur confeſſarius, quæque cum ſit certa, deberet vincere obligationem Sigilli dubiam; locum, inquam, non habet: ſiquidem contra talem libertatem prævalet ex Christi inſtitutione periculum certum avocandi Fideles à Sacramento Pænitentiæ.

*Bonac. de pæn diſp. 5 q 6 ſec. 5, p 2 n. 4*

# CAPVT IV.

## Quinam teneantur ad Sigillum.

### §. I.

*Confeſſor, Pænitens, Interpres, aliique audientes.*

1 CErtum eſt, teneri ipſum Confeſſarium: & non teneri Pænitentem: *a* hic enim non niſi ad ſecretum naturale ſervandum, ne ſcilicet in aliquo Confeſſarij. *b* famam lædat

*a Suarez de pæn. diſp. 33. ſect. 44. n. 2. & paſſim*
*b Idem ibid De-lugo de pæn d 23. ſec. 2. n. 21. aliiq; contr. Caet v. Conſ con.*

lædat, obligatur. Certum item ſit teneri Interpretem, cum quando, ut neceſſarius ad con- feſſionem cuiuſpiam adhibetur Item eum, *c* qui vel caſu, vel ma- litia inaudit peccata actu con- fitentis. Item eum, *d* cui Con- feſſarius peccata pænitentis ſi- ve conſulto atque adeò ſacrile- gè, ſive inculpatè recenſuerit Item eum *e* qui ſe Sacerdotem ſi- mulans, confeſſionibus pæni- tentium aures præbuit. Ratio horum illa una ſatis efficax eſt quia in his, ne odioſior evadat confeſſio, ratio Sigilli pro cert reſidet.

*11. ap Co ninde pæ. d. 9. a 3 n. 50 c Idē contra So- tum ex parte ab iiſdem cit.*

*d Idem*

*e Suar cit ſect. 2 n. 3 Delugo cit. n. 40, Vaſquez de pæn q. 93 art. 4 du. 2 n. 3.*

## §. II.

*Is, à quo petitur licentia de reſervato.*

2 PRælatus, à quo vel ipſ pænitens, vel eius nunti us petit extra confeſſionem li cen-

centiam de abſolutione à reſervatis, ex aliquorum *f* placito, obligatur ad ſigillum, ſed ex ſententia aliorum, *g* ſolum ad ſecretum naturale. Vtrumque probabile eſt. Prius quia ea petitio videtur inchoata confeſſio. Poſterius quia præſumitur pænitens evocare velle ab obligatione Sacramenti, ea negotia, quæ volens & prudens extra Sacramentum tractat.

*f Suar. De lugo l. c n. 39 aliique*

*g Connin. chus Hen Vaſ. quos citat ſequiturq; Caſtrop de pen q. 19. § 4 n 10.*

## §. III

*Is, à quo petitur conſilium.*

3 SEd adhuc dubitatur primò de eò, cui confeſſarius de licentia pænitentis narrat eius peccata, ſeu à quo de ijſdem peccatis, deque eiuſdem pænitentis licentia conſilium exquirit,

Antequam Reſpondeam, Præmitto in hac Sigilli mate-

ria

cia triplex ſecretum à nonnullis
diſtingui. *h* Primum eſt ſecretum
naturale, ad quod vel ex fide da-
ta: vel ex fama proximi tenemur.
Secundum eſt Sigillum confeſ-
ſionis, quo tantummodo obſtrin-
gitur ipſe confeſſor, & de quo
hactenus multa, & deinceps non
pauca differemus; Tertium eſt
ſecretum medium inter utrum-
que, ſtrictius primo, benignius
ſecundo, quo obſtringuntur alii
à confeſſario, qui aliquo tādem
modo peccatū pænitentis ratio-
ne confeſsionis norunt. Et quā-
vis aliquibus *i* non videatur dif-
ferre hoc ſecretum mediū à ſe-
creto Sigilli, utrumq; enim per-
inde ſtrictiſsimum eſt, ac Religi-
onem fovet, reverentiamq; Sa-
cramenti; tamen negari non po-
teſt, quantum ad aliquem effe-
ctum differre. Fractor enim Si-
gilli punitur ab Eccleſiâ pæn-
ordinaria: at fractor ſecreti me-
dij pænâ extraordinaria / ſeu ar-
bitra-

*h* *De lug. lib. cap. n. 21 & 24.*

*i* *Suar. Hur Præ. Onuph. aliique apud Dian p.5 tr. 11. reſ. 51. idemq D-lugo l 5. ſec. 5. nu, 147.*

bitrariâ; & meritò: magis enim reus eſt confeſſor, ſi revelat ea, quæ ſuæ fidei immediatè, commiſſa ſunt, quam alii, quibus veluti mediatè, & indirectè.

4 His poſitis, triplex eſt in propoſita dubitatione ſententia Aliqui docent *a* teneri ſecreto ſolùm naturali, alii *b* medio, alij ſecreto Sigilli *c* omnes probabiliter: ſequere quam mavis. Primam, quia pænitens concedens veniam colloquendi cum tertio de ſuo peccato, præſumitur extra limites Sacramenti illud extrahere. Secundam, quia ejuſmodi notitia oritur, tamquam à radice confeſſionis, ſed ut modo diximus, afferens obligationem mitioris pænæ. Tertiam, quia eadem notitia; quam alteri porrigit Confeſſarius (quãvis ex licentia pænitẽtis (eſt eadem quam ipſe Confeſſarius habet, ipſe autem habet affectam onere Sigilli, ergo, &c. Negari

a *Medina eod. de Conf. C. de his quæ fine Vaſq. d. dub 2. n. 20 Dian part. 2 Tracti. t. alias 15 t 84 Caſtr. de pæn p. 19 § 4. n. 4 inclinat Coninch l. c. n 40. & 50.*

b *Henr. lib 6 c 20 n 3* c *Sua lib c. ſect. 4. n 6.*

ſuper poteſt pænitentem per eam licentiam velle ſua peccata à Sigilli favore repellere, immo nolle eſt præſumendus: quia nemo detrimentum ſuum velle putandus eſt.

## §. IV.

### *Ipſe Confeſſarius à pænitente ante Confeſſionem conſultus.*

5 IAm verò, ex occaſione di-ctorum illa emergit diffi-cultas. An ſi pænitens, ſive pau-lò, ſive multò ante confeſſio-nem aliqua de ſuis peccatis communicet Confeſſori, ut ra-tionem v. gr. addiſcat mox exhi-bendæ confeſſionis; an, inquam, ea ſub Sigillo ſint contegenda? Videntur contegenda non eſſe: quia pænitens jam conſultò ex-tra confeſſioonem, perinde ac cum amico laico ageret, loque-

tur Adde hanc notionem, quæ ſic Confeſſori affertur, non procedere ex confeſsione peracta, quo pacto probabile eſt ut modò dixi, ſecum ferre onus Sigilli, ſub quo peracta eſt, ſed ex facienda? quæ quia fortaſſe non fiet non poteſt communicare onus Sigilli, quod portet. Ita opinantur aliqui *d*

6 Verum alij *e* tum confeſſorem, tum laicum, cui ea communicatio fiat, Sigilli reos conſtituunt; ſi quidem ad dandam talem notitiam pænitens movetur à vi confeſsionis, idque noſcit is, qui eam accipit, ex quo infert Medina *f* hunc ſive confeſſorem, ſive laicum, cui ad finem confeſſionis peragendæ communicatum eſt peccatum enorme, alias Prælato denuntiandum ſub pæna excommunicationis; nec debere, nec poſſe denuntiare; quia contra Sigillum, quod fortius urget, peccaret.

d *Suar diſp. 33. ſec 4 n. 6.*
e *Henr. lib 6. ca, 21 n 4* e *Fag. præc Eccl. 2. lib 6 ca. 6. n. 23. Medin. allat à Diana par. 5 tr. 11. reſ 44.*
f *Medin. ibid.*

7 Vtraque opinio eſt probabilis. Ego hanc poſteriorem ſequor libentius: tum quia magis Sacramento favet, tum quia nollē obligare prædictos ad denuntiandum: quo ſcilicet tutior aditus miſeris pateat ad petendum conſilium: id quod majus eſt bonum, quam quodcunque aliud: quod hac in re effingi animo ſecùs valeat.

## §. V.

*Laicus Confeſſionem fortè excipiens.*

8 DVbitatur ſecundò de eo, qui conſulto confitetur Laico quem per errorem fortè putet poſſe urgente neceſſitate, ſacramentaliter abſolvere: nam ſi id fiat devotionis vel humilitatis gratia; Sigilli obligationem nequaquam parere, palam eſt.

Reſpondeo. Aliqui g affirmãt tunc exurgere obligationem Sigilli, quia hic pænitens jam movetur, licet cum errore, à confeſſione inſtituta à Chriſto. Aliqui h negant, quia Chriſtus Dominus non niſi confeſſioni Sacramentali, cujus ipſe fuit Author, ſilentium impoſuit, et ea, quam quis per eum errorẽ exhibet, ficta eſt & neutiquam à Chriſto authore conſtituta, & utraque ſententia probabilitatis metam attingit.

g *Hurtad de pæn. diſp. 12. diff. 3. Præp. pænqu. 11 d 2 nu. 22*

h *Suar. li. ca. ſect. 2 n 2 Vaſqu. lib. 1. du. 2. n. 2.*

9 Si quando quis pandit ſua peccata coram vero Confeſſario, ſed multis ex neceſsitate præſentibus, ut accidit in tempeſtatibus, ſubitis invaſionibus & cetera; (in quibus quidem eventibus ob tẽporibus anguſtiã etiã multis ſimul licet fateri peccata, quæ in illa turbatione poſſu t, & per unicam illam formã abſolvi: Ego vos abſolvo, & cetera.) cum confeſſor, tum omnes præſentes ita arctantur obliga-

tione

tione Sigill, ut *n* de audicis nec cum aliis, nec invicem ſecum ipſis colloqui poſsint: id quod ex hactenus dictis quilibet facili negotio colliget.

n *Fug. præc. Ecc.* 2. *lib.* 6. c 5 *n.* 1.

## §. VI.

### *Scripta peccata legens.*

1 DVbitatur Tertiò. An is qui inveniens forte papyrum, in qua ſint alicujus peccata deſcripta, quæ appareant eſſe notata propter confeſſionem ſive exhibitam, ſive exhibendam, ea (licet ut certum eſt o cum peccato) legit, An, inquam, ex vi Sacramenti, teneatur ad ſilendum?

Reſpondeo. Aliqui *p* tenent affirmant: Aliqui *q* negant. Ratio affirmantium eſt, quia illa ſcriptura eſt internuncia peccatorum, eſtque ſive inchoata confeſſio, ſive confeſsionem fa-

o *Coninch d. diſ* 9 *de pœn dub* 5 *v* 5 *fine Caſtrop. de pœn. p.* 19 § 4 *n* 11

p *Fag l c. allatus à Diana p.* 3 *tr.* 4. *reſ.* 112

q *Sua Cou Laym ap Delug. l c n* 46 *Bav*

ctam gerens: nam propter eandem rationem is, qui excipit ſcriptum confeſſionem amici neſcientis ſcribere, eo modo ſe ad confeſsionem præparantis: tenetur pariter (ut docet Præpoſitus) r ad Sigillum. Ratio negantium [ qui conſequenter nec cognoſcunt obligationem Sigilli in hoc Præpoſiti caſu) eſt quia ejuſmodi ſcriptio, ne inchoata quidem confeſſio eſt, ſed ſolum materia præparata ad confeſſionem, nec eſt gerens confeſſionem, ſed gerens materiam, quæ erat præparata ad eandem: non ergo inducit maiorem obligationem, quam naturalis ſecreti: ſicuti enim ſi quis audiret peccata alicuius, qui ſe alta voce ad ea confitenda præpararet, vel alicuius, qui pari modo gratias Deo ageret de peccatis confeſſis: non teneretur ad Sigillum; quia huiuſmodi notitia non habetur ex vi

*tr. 4. de pæn q. 0. Navar. Bonac. aliique apud Caſtro. l. c.*

r. *Præp. de pœnit. qu 11 dub. 4 n. 34*

Sacra-

Sacramenti, ſed vel præparationis ad illam, vel gratiarum actionis de eadem: & ſicuti qui audiret matrem inſtituentem filiá v. g. ſeptennem ad faciendam confeſſionem, vel interrogantem de jam facta, non obligaretur propter dictam rationem ad ſilentium Sigilli; ita in caſu noſtro, &c. Vtraque ſententia eſt probabilis.

## CAPVT V.

### *De Sigillo Confeſsionis reſpectu eiuſdem pænitentis.*

1 COntingit frequenter, ut confeſſarius velit de exceptis in confeſſione cum ſuo pænitente tractare, quæritur quatenus id eidem liceat. Quávis autem ſupponeremus certum non eſſe hac ratione Sigillum frangi] & profectò plures cum Sanchez *a* frangi negant, eſto

a *Sanch. li.3. de matri.16.*
b *Apud eund.*

eſſe affirment admodum pauci b quia fractio Sigilli eſt fractio ſecreti, ſecretum vero non frangit, qui cum eodem, qui ſecretum commiſit, loquitur, ſed qui cum alijs] quamvis, inquam, id non eſſe certum ſupponeremus: tamen conveniunt fere omnes, ejuſmodi locutionem cum eodem, quia cedit in odium confeſſionis, ſemper eſſe prohibitã.

2. Porrò tria tempora in dubium vocare poſſumus, an Confeſſori liceat de auditis agere cum ſuo pænitẽte. Primò, An ſtatim poſt abſolutionẽ. Secundo, An in alijs fortè conſequentibus Tertio, An ceteris temporibus extra confeſsionem. Quæ tria trib⁹ dictis breviter expediã.

3 Dico Primò, ſtatim ab Abſolutione, licere. e Ratio eſt, quia moraliter judicatur durare eadem confeſſio: ſicut enim tunc poteſt injungi pænitentia, ex alibi dictis cur non & cetera expediri,

e *Præp. l. c. d Henr de pæn. libr. 6. c. 20 n. 7. quidquid dicat Bagia. l. c. n 52.*

diri, quæ ad bonum pænitentis conducere iudicabuntur?

4 DicoSecundò, in aliis confeſſionibus etiam licere; *f* quamvis enim ſæpè non expediat, quando nulla, vel modica ſit neceſſitas, timeaturque de pænitentis moleſtia: tamen, quia eiuſmodi locutio eſt intra forum Sacramentale, non eſt interdicta. Audi Malderum. *g* Sicuti quando extra confeſsionem pænitens de peccato, quod confeſſus eſt conſulit Confeſſarium, jam ſatis ei dat li[c]entiam de eo loquendi, immo hoc ipſum requirit ab eo; ita ſimiliter, quando ſtatum animæ ſuæ expoſuit, & de eo iudicari, & tractari vult in ſecunda confeſsione; ſatis cenſetur de neceſſariis ad bonam confeſſionis directionem Confeſſario tractandi ſecum poteſtatem facere; quod magis locum habet, quando peccata prioris confeſſionis ſunt aliquomo-

*f* *Præp. loc. q. H. n. 1 c. v. 7. Delug. l. c. ſec. 5 n. 127 Gran. de Sacra. contr. 7. tr. 11 d. 5 contr. Fag. l. c. n. 36*

*g Malderus tr. de Sigillo c. 12 ap. Dianam p. 5. tra. 11 re. 10.*

modo circumſtantiæ peccatorum in ſecunda confeſsione expreſſorum. Hæc appoſitè Malderus. Quæ confirmantur à Præpoſito *b* ex praxi communi etiam timoratorum Confeſſariorum, qui rationabili ex cauſa mentionem faciunt in præſenti confeſſione eorum, quæ audierunt in priore: immo aliquando negant Abſolutionem pænitenti propter frequentem lapſum cognitum in alia confeſsione; & denique: Quid adhortamur Fideles, inquit, ut utantur ſemper eodem Confeſſario ſi hic debeat gerere ſe ac ſi neſciret confeſsiones priores?

*b Præp. dc. n. 4.*

5 Dico tertio. Aliis temporibus à prædictis, hoc eſt extra omnem rationem confeſſionis, nunquam licet, ſine venia pænitentis cum eodem loqui de auditis in confeſſione. Ratio eſt toties repetita, quia ſecus redderetur moleſtiſſima confeſſio.

6 Quan-

6 Quando Confeſſarius extra confeſſionem petit à pænitente colloquendi de rebus auditis poteſtatem, ut illum admoneat de re ipſi neceſſaria ad ſalutem: pænitens autem (utiq; peccando) neget; an poſſit nihilominus Confeſſarius locutionem producere, & admonere, ſatis dictum eſt in ſuperioribus. ꝭ

ꝭ *In Methodo Conf. lib. 3. c. 8 § 4*

## CAPVT VI.

### An Cõfeſſor poſsit uti cognitione habita in Confeſsione

§. 1.

*An id poſsit, ſive alii, vel complices peccati id advertant.*

1 CErtum eſt nequaquam licere Confeſſario uti cognitione habita in cõfeſsione etiam ad mortem *a* evitandam quan-

*a Coninch d. diſ. 9. dub. 4. n. 54 & 55.*

quando alij, qui alias pænitentis peccatum ignorabant, grave quidpiam ex tali uſu adverſus ipſum ſuſpicarentur: quia id eſſet ipſo facto confeſſionem oſtendere. Immo ſi Confeſſor duorum ex confeſsione unius cognovit alterum non confiteri integrè; licet poſſit, & iuxta prudentiam debeat generatim interrogare, nunquid aliud peccatum habeat, vel ſimile quid; non poteſt *d* tamen ullum indicium ſuæ notitiæ præbere, ſed tutò abſolvat, Deoque omnia committat. ne ſcilicet pænitens aliquid de confeſſione alterius advertat.

d *Suar. l. c. d. 34 ſec. 3 num. 5.*

2 Difficultas ergo ſolum, & & quidem gravis, hic ſupereſt quādo id ſuſpicarentur ij, qui alias ſciebāt, ſocij v.g. peccati: ut, ſi Sacerdos ſciat ex confeſſione unius complicis vinū Miſſæ veneno eſſe infectum, vel ipſum eſſe occidendum, ſeu lapidandum

dum domo exit: poteritnè ſacri
deſiſtere, & domi ſe cohibere,
hinc advertant complices con
iurationem ad aures Sacerdoti
allatam ex confeſsione uniu
ex ipſis fuiſſe.

3 Suarez e ait non poſſe Sa
crum omittere, nec ſe include
domi; immò ſi ſit in mortali; a
huc non poſſe: tunc enim ſe pro
videat de contritione,

4 At Coninch f probabiliu
eſſe, ait, poſſet, prout ſuæ vitæ
expedierit; idque etiam ſi pœ-
nitenti ab aliis ſociis mors, ve
gravis mali periculum immine-
ret. Illa prior ſententia eſt ni-
mis ſevera, quamvis magis Si-
gillo favens; hæc poſterior e
humanis rebus accommodatio
atque adeo magis excipiend
Ratio autem eſſe poteſt, quia a
liud eſt facto ipſo patefacere
peccatum, aliud eſt, ſimula
aliquo prætextu, facere ſeu o
mittere aliquid, ex quo alii a
un

e Suar. aliq. quos citat ſequit Fag. l.c.2.n.5.

f Coninch l.c dub 4 nu. 53. & 56 Bonac de pœn. d.5. q 5. ſec.5.p.5. n 27. citant Reginaldum Onuph. Henriq See diſt. 21 q 2 art 2 ad 3 generaliter loquentē adeoque etiam de

unde ſcientes ſumant occaſionem ſuſpicandi peccatum eſſe confeſſum. Prius eſt omnino illicitum, poſterius licitum eſt aliquando, immo non raro debitum, cum non ſit ulla detectio nec verbo, nec facto exhibita. Non placet autem Delugo, g dum aſſerit idem eſſe in his circumſtantijs fugere Sacerdotem, ac dicere, Mihi paratæ ſunt inſidiæ: non placet, inquam, hoc enim dictum per ſe ſignificat inſidias; at fuga, cum poſſit procedere ex varijs capitibus, ſolum per accidens; ratione ſcilicet cognitionis aliunde à ſocijs habitæ, ſignificat idem peccatum inſidiarum.

*de nov. ſocijs Caſt. de pæn. p. 19 §. 4 n. 18 Laym. lib. 5. tr. 6. c. 14 n. 2[illegible]*

*g Delug. diſ. de præ. 23. ſec. 5. n. 113.*

## §. II.

### *An uti Confeſſarius dicta cognitione poſſit, quando ſolus pœnitens advertit*

1 HÆc eſt graviſſima, & inter ceteras moleſtiſſima quæſtio, ad quam ſolvendam præmitto, triplicis generis eſſe actus pænitenti ingratos, quos Confeſſarius ex vi cognitionis habitæ in confeſſione poſſet exercere. Primi, qui verſantur circa perſonam pænitentis & quidem ſpectantes ad juſtitiam punitivam, vel commutativam. Ut pænitentem caſtigare: tollere jus ipſi acquiſitum: ſtruere inſidias, ut pænitens in delicto audito deprehendatur, negare debitum pecuniæ, &c. Secundi, qui verſantur circa ejuſdem perſonam, ſed ſpectantes ad juſti-

tiam diſtributivam, vel miſericordiam, aliamve virtutem: ut negare ſuffragium liberum ei, cum non negares, ſi ejus indignitas, vel peccata in confeſſione explorata tibi nequaquam fuiſſent; tollere ab eo officium ex ſe amovibile, quando ab ipſo retinetur cum animæ ſuæ detrimento: ablegare pænitentem in alium locum, ubi degeret abſq; peccato: ſe illi oſtendere ſeviorem, minuſque grarè cum eodem loqui: ejuſdem inopiæ datâ ſtipe non opitulari: famulum cognitum ex confeſſione furem, domo expellere: Sacramenta non miniſtrare, non porrigere Euchariſtiam, non aſſiſtere matrimonio, quod pænitens nulliter contraheret: non colloqui cum excommunicato vitando, & cetera ſimilia; quæ exercentur circa perſonas ſingulares, & certas, Tertij generis ſunt actus omnes, qui non exercentur verè

circa perſonam pænitentis, licet contra ipſam aliquando recurrant, ut vigilantius Confeſſarium cuſtodire res ſuas: ſervo furi, pecuniam vel arcæ claves non committere: Superiorem claudere fores, unde idem ſcivit ex confeſſione aliquem de nocte furtim exire; Sacerdotem ſe domi continere, vel Miſſam non celebrare, quia in confeſſione ſcivit inſidias, & ſimilia; quæ communiter conſueverunt eſſe poſitiones alicujus impedimenti, quo poſito pænitens abſque ſuo aliquo extrinſeco incommodo impeditur, quo minus in peccatum ruat.

2 Conſultò autem Dixi (actus pænitenti ingratos) Confeſſarius enim propter fiduciam v. g. qua cum ipſo pænitens ſe geſſit, omnia ſui animi interiora, graviaque peccata detegendo: poterit [a] eidem oſtendere ſigna amoris, benignè ex-

[a] *Delugo de pæn. d.* 22. *ſec.* 5. *n.* 102

excipere , beneficia conferre, &c. quamvis idem pænitens advertat, hæc fieri propter expoſita in confeſſione. Ratio eſt, quia ex una parte, ut ſupra vidimus, non eſt fractio Sigilli collocutio cum eodem, qui Sigillum commiſit: & ex alia, illæ actiones non ſunt ipſi ingratæ, unde confeſſio fieri odioſa timeatur, ſed gratiſſima, unde Fideles ad confeſsionem potius alliciendi eſſe cum fructu ſperentur.

3 His poſitis, certum eſto *b* primi generis actus numquam licere, ſine licentia pænitentis: quia ſatis odioſa redderetur confeſſio, ſi ſciretur propter illam contra ſubditos procedi poſſe. Nam propterea ſi quis ex Iudicibus contra ſubditum interrogavit teſtes, proceſſum inſtituit, vel quid ſimile aggreſſus eſt, atque appareat hos actus initium habuiſſe à noitia, quan-

b *Doctores mox citandi.*

quan-

quantumvis tenui, habitâ in confeſſione; omnes ejuſmodi actus; utpote invalidi, reſcindi ab eodem, & à quocumque alio judice, qui id reſciſcet, omnino debent *c*

4 Iam vero de actibus ſecundi, & tertij generis ſimul ſumptis, eſt duplex ſententia: Prima multorum *d* concedentium Confeſſario utriuſque generis actus: quando unus ipſe pænitens cognoſcit, cum ad hos actus peragendos moveri ex auditis in confeſſione. Ratio eſt, inquiunt; quia ex una parte non eſt frangere Sigillum colloqui cum eo uno, qui tibi rem communicavit; & ex alia pænitens, cum non habeat jus abſolutum ad eas actiones: illi nulla fit iniuria, ſi eæ negentur. Bipartitos deinde hos Doctores invenio. Plures *e* enim ſentiunt, quandoquidem Confeſſarius poteſt, debere interdum exercere eas actio-

*c Henriq. lib.6. de pæn c 20. n.3 Sà V. Conf. nu. 31.*

*d Apud Sanc mox citand.*

*e Apud eundem*

actiones, atque adeo amovere indignum ab officio, non ferre ſuffragium, non miniſtrare Sacramenta, &c, ne ſcilicet cooperetur, cum poſſit non cooperari, cum peccato pænitentis Multo autem plures *f* eiuſmodi obligationi refragantur: quia nimirum nullus hominum cogi debet, ut utatur remedio tam difficili, & periculoſo fractionis Sigilli.

f *Apud eundem*

5 Secunda ſententia eſt aliquorum negantium. Ratio eſt toties allata, nempe, ne ſic in odium Fidelium incidat confeſsio. Ex qua ſententia ſequitur, Confeſſarium ſe debere gerere prorſus, ac ſi nihil audiſſet, nec poſſe ſubditum ab officio amovere: negare ſuffragium, eleemoſinam, Sacramenta, claudere feneſtram ſe domi continere ad inſidias vitandas, &c.

6 Thomas Sanchez ubi has duas ſententias, retulit, ſic addit

g Quid dicendum in re tam dubia? Pro priori enim ſententia militant authoritates tot, tantorumque virorum ( numeraverat enim ad triginta quinq; S. Thomam, Scotum, Sotum, Suarez, alioſque & fortiſſimas rationes, quare negari non poteſt eſſe probabiliſsimam. Verú multo mihi magis ſemper placuit, & modo placet poſterior ſententia, quæ non pænitendis nititur fundamentis, &c. Hæc Sanchez.

*g Sanc lib. 3. matr. d. 36 n. 4. Vide etiam Fag. F. eccl. præc lib. 5 c. 3. à n. 4*

7 Ego cum Coninch *h* aliiſque puto diſtinguendum eſſe de prædictis actibus, atque aſſerendum, non poſſe exerceri actus ſecundi generis, actus tertij generis poſſe. Ratio eſt eadem modo totieſque propoſita; ſed quia Doctores utriuſque ſententiæ actus ſecundi, & tertij generis minus diſtinxerunt; minus recta hactenus, niſi ſi quid me fallit, inducta eſt. In-

*h Coninch d. 9 dub. 4 n. 67 & 68 Caſt. de pœn. p. 19. § 3 n. 18 & Sanc l. c. ſi attente legat.*

Induci autem in hunc modum poteſt.

Si concedantur actus ſecundi generis, redditur maximè odioſa confeſſio, non vero, ſi concedantur tertij generis actiones: ergo has licebit exercere non illos. Antecedens probatur Facile retraherentur Fideles à Sacramento pænitentiæ, ſi ſcirent poſſe quemlibet, propter audita in illo foro, amoveri ab officio, carere ſuffragio, quamvis libero, repelli ab *i* Euchariſtia, privari communicatione cum alijs, & ſimilia ingrata, quæ ſunt actiones ſecundi generis. At nemo ab eadem retrahetur, ſeu certè retrahi præſumetur ea de cauſa, quod ſcilicet, quis melius cuſtodiat res ſuas, claudat feneſtras ad impedienda peccata, mortem effugiat, & ſimilia, quæ ſunt actiones tertij generis; cum ad hæc is idem pænitens, cui verè ſurgere à

i *De hoc vidi ſupra in Meth. Conf. l. 3 c. 6 § 2 n. 20*

peccato per pænitentiam intendit; cooperari pro ſuo modo teneatur: unde huiuſmodi actus non quidem ingrati, rite pænitenti, ſed gratiſſimi eſſe cenſendi ſunt. Erubeſcentia autem nulla ipſi orietur prudenter: quia cum tertij generis actiones non exerceantur circa ejus perſonam ſingularem, ut diximus; potius is, (occaſione non inficior, data à Confeſſario utente tamen jure ſuo) ad ſe advocat pudorem illum; quam Confeſſor eodem pudore pænitentem afficit.

*l Decretũ Clem. 8. anno 1594 26 Maii*

8 Inſtas, at Clemens Octavus *l* generaliter interdicit ejuſmodi uſum Tam Superiores, inquit, pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, AD EXTERIOREM GUBERNA-

TIO-

TIONEM utantur. Nec ab-
ſimile eſt Decretum Reverendi m *Decre-*
Patris Generalis *m* Societatis *tum Clau-*
Ieſu pro ſuis Tametſi ait, non *dii Ae-*
deſint Doctores, qui notitia per *quavivæ*
confeſſionem habita, ſalvo Si- *Gener. a-*
gillo Confeſſarii, uti nonnum- *pud Caſt.*
quam, licere ſentiant; Noſtros *l. 2 n. 10.*
tamen eam doctrinam ſequi non
expedire judicamus. Quare ca-
veant diligenter SVPERI-
ORES, ne vel ipſi, vel No-
ſtrorum aliqui eam uſpiam in-
troducant: privatim, aut pu-
blice doceant: nec ea niſi for-
te de pænitentis licentia, ullo
modo utantur: ſed ita ſe gerant
in omnibus caſibus Confeſſarij; n *Hurt.*
ac ſi in confeſſione nihil pæni- *de pæn.*
tus audiviſſent. *diſ. 12. diſ.*

9 Reſpondeo, hoc Decretum *9. Præp.*
Clementis, quod non *n* ad omnes *de pænit.*
Confeſſarios, ſed ad eos, qui *qu. 11. d.*
Superiores ſint vel deinceps e- *7. 33. cit.*
runt, dirigitur, ſolum prohibet
id, quod alias iure divino pro-

no prohibitum erat: id eſt actio-
*Suar. de* nes primi, & ſecundi generis,
*pæn d 33.* non verò *o* tertij, ut etiam colli-
*cit. ſect. 7* gi poteſt ex Coninch, & Caſtrop
*n. 9* & Sanchez locis citatis, qui
*o Laym.* ſcripſerunt poſt dictum Decre-
*lib 5 tr. 4* tum, & tamen noſtram opinio-
*c 14 n. 23* nem à probabilitate non deij-
*in fine.* ciunt. Ratio autem eſt, quia hæ
tertij generis actiones nullo
modo pertinent ad EXTERIO-
REM GVBERNATIONEM
perſonarum: cum per has, circa
perſonas ſingulares, nihil de-
cernatur.

Decretum inſuper R. P. Ge-
neralis Societatis Ieſu, quod ad
Superiores, ut invigilent. non
verò ad ſubditos dirigitur: eo-
dem modo illas vetat, non ha-
tertij generis: quia cum hæ ne-
minem ſigillatim tangant, ſint q;
communiter peccatorum impe-
dimenta, eaſq; non prohibuerit
Clemens VIII. cui ſe confor-
mem ipſe reddere voluit: non
era[t]

erat ratio, quamobrem has prohiberet.

# CAPVT VII.

## Expediuntur quædam circa Vſum prædictæ notitiæ.

### §. I.

*An poſsit quis ſimulatum Confeſſorem reſpuere.*

10 AD ea, quæ hactenus docuimus, expedienda, adhuc dubitatur primo. Quid faciam ego Confeſſarius, ſi is, cui peccata mea aperire, tanquam Confeſſario conſuevi, nunc confiteatur ipſe mihi, detegatque ſe non eſſe Sacerdotem, poſſumne ad illius pedes amplius non accedere, ipſo advertẽte, me ad hoc moneri ex vi

confeſſionis eius? Reſpondeo Poſſum *p* quia hæc ommiſſio reducitur ad actiones tertij generis; per illam enim nihil in pœnitentis perſonam exerceo, ſed negativè me habeo,

p Sanch. d. d. 10. n. 5.

11 Quid ſi ex hac omiſſione ſuſpicentur malum de Sacerdote; Reſpondeo, Tunc poteris, & ex Delugo *q* debebis alteri ſeriò confiteri; huic autem, ne illum prodas, confitearis ſolum exterius. At Fagund. *r* docet, & poſſe & non debere, quia hæc omiſſio oſtenſiva delicti ex ſe non eſt. Verum ſi alii alias ſciebant illum non eſſe Sacerdotem; placet mihi ſententia hæc poſterior Fagund, propter rationem à nobis expoſitam ſupra §. 1. num. 5. At ſi ignorabant, placet ſententia prior Delugo, quia tunc verè ejuſmodi omiſſio videtur eſſe manifeſtativa delicti, juxta ea, quæ diximus cit. 1. nu. 2.

q Delugo loco cit. ſe. n. 105.
r Fag. præc. Ecc. 2. lib 6. c. 5. n. 2.

§. 2.

## § II.

*An poſsit reſpui pænitens ſollicitans.*

13 DVbitatur Secundò, ſi vocer ad audiendum pænitentem, à quo timeo, ne in peccatum inducat, idque ſolum ex eius præcedenti confeſsione noſcam; poſſumnè ad illum non adire, ſi vel ipſe rem advertat, vel alii contra ipſum aliquid ſuſpicentur? Reſpondeo, poſſum immo non obligor non adire; quia ſi pænitens ad peccatum in confeſsione ſollicitat, iam illa nec eſt confeſsio, nec Sigillo ſubjacet; quod ſi alios caſus effingas, vide eos apud doctores citatos, ſunt enim fere Metaphyſici.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## §. III.

### *De Pœnitente impœnitenti.*

14 DVbitatur Tertiò, ſi voceris à pænitente; qui bis, ter, pluries noluit tollere occaſionem v. gr. proximam, poteſnè effugere, ſi ipſe id advertat, vel alij de ipſo aliquid conijciant.

Reſpondeo, ſi tecum confeſſus eſt ut confeſſionem ſimularet, & in bona exiſtimatione apud alios haberetur; potes effugere, quia illa non fuit confeſſio, ſed ſimulatio. Verum ſi fuit vera confeſſio animo ſe adjuvandi, non potes non ire, ſi alij malum de pænitente ſuſpicentur. Fuit enim illa Sacramentalis, licet inchoata confeſſio, Sigillum ſecum trahens.

15 Quod ſi non alij, ſed ipſe ſolum id advertat, non video in

in te obligationem eundi: quia ex una parte non eſt revelare, ſi eandem ei committas, à quo recepiſti, ut toties dictum eſt: & ex alia propter ſimiles negationes, non retraherentur à confeſſione fideles, immo magis ad eam cum debita diſpoſitione faciendam excitabuntur. Favet inſuper alia ratio, quia tu meritò negas, ut pænitens à ſua contumacia reſipiſcat: ſicuti meritò, propter eamdem rationem eumdem aliquando non abſolvis.

## §. IV.

### *De ſciente in Confeſſione Eccleſiam eſſe pollutam*

16 DVbitatur quartò, An ſi ſciat ex confeſſione Sacerdos Eccleſiam eſſe pollutam, poſſit in illa celebrare, advertente id pænitente, vel alijs, &c. Reſpondeo. Si ex omiſſione ſacri-

crificii aliqua notitia peccat
quoad alios, vel aliquod pæni-
tenti damnum timeatur: pote-
rit, & conſequenter, iuxta ſupe-
riùs dicta debebit celebrare; qui
fortius eſt vinculũ Sigilli, quã
violatæ Eccleſiæ. At ſi nullu
detrimenti, vel notitiæ pericul
ſit, non poterit celebrare, ex De-
lugo; ſ quia urget præceptu
de non celebrando in loco vio-
lato, & non urget præceptu
Sigilli, cum nullum peric-
lum damni, nec evulgationis a
eſſe ſupponamus. At poterit ce-
lebrare ex Bonacina: t quia Ec-
cleſia non præſumitur velle ob-
ligare Sacerdotem ad non cele-
brandum, quando ex ſola con-
feſſione novit locum eſſe pollu-
tum: ſiquidem Eccleſia ſemper
velle favere Sigillo credenda e
Vtrumque probabile.

17 Quid ſi ſolus pænitens ſi
advertat? Non poſſe celebrar
probabiliter decernit Delug

a qu

ſ *De lug. l. c. nu. 124.*

t *Bonac. de pæn. d. 5 q 6 ſect 5. par. 4. num. 23.*

quia eiuſmodi omiſsio, reſpe-
ctu eiuſdem pænitentis, non eſt u *Delugo*
revelatio, ut ſæpè diximus: & ex *loco cit.*
alia parte non eſt actio circa pe-
culiarem pænitentis perſonam,
nec rationabiliter ipſi ingrata:
imò Confeſſarii onus (inquit)
ſi iudicet ſe profuturum, nec
ſit ſuum grave incommodum
monere etiam alios, ut nec ipſi
celebrent. Verum ex ratione
modo dicta à Bonacina, addita
ea, quæ dicta eſt §. 2. num, 4 fine,
conſequitur poſſe celebrare, nec
ad prædictam monitionem ob-
ligari, id quod certè ut probabi-
liter deductum, amplecti
ſine dubio poſſu-
mus.

CA-

# CAPUT VIII.

*Cuiuſnam ſuſpicionis periculum contra pænitentem, ex vi Sigilli prohibetur.*

a DIctum eſt ſæpè in præcedentibus, cavendum eſſe, ne detur ulla ſuſpicandi occaſio contra pænitentem. Occurrit ſcrupulus, an id de omni quamvis levi ſuſpicione, intelligendum ſit?

Hac de re ſic prudenter diſſerit Delugo a Intelligitur de ſuſpicione probabili, non verò de conjecturis, etiam levibus, quas malitioſi, & naſuti facilè faciunt. Ita Palatius, S. Tho. Scotus, Medina, alijq; quod videtur etiam in praxi obſervari; eſſet enim ferè impoſſibile omnem ſuſpicandi occaſionem indirectam omnibus auferre. Facilius autem excuſantur occaſiones negativæ quam poſitivæ v.g. ſi uni pæn

*a Delugo d23 ſect 5 n. 406*

tenti, propter ejus puritatem, Confeſſarius majora benevolentiæ ſigna oſtendat, quam aliis; his enim ſua, ut ſupponimus oſtendit, quamvis non ſpecialia. Adverte etiã in aliqua materia, propter ejus qualitatem, & gravitatẽ, non reputari levem ſuſpicionẽ, quæ aliàs fortaſſe levis eſſet: v. g. quæcunq; occaſio daretur marito, etiam levis, ſuſpicãdi adulterium uxoris ſuæ, eſſet graviſſimè contra Sigillum, quia nimis difficilis redderetur ex tali periculo. Hæc ille.

## CAPVT IX.

*De culpa, & pœna frãgentĩs Sigillum*

*Præp. de pen. q. 11. d 2. n. 18. & d. 4 n 39. Caſt. de pæn. p. 19 §. 1. n 2 Bon l. c p 2 n. 1 & 4.*

QVantum ad culpam. In fractione Sigilli tria peccata cõmitti poſſunt. Primò contra Religionem, ſeu reverentiam debitam Sacramentò. Secundo, contra juſtitiam, vel

Cha-

catem ſi quid detegatur, unde
quis notetur infamia. Tertiò
contra fidem datam, ſeu ſecre-
tum naturale, ſi res erat oc-
culta. Primum ſemper eſt mor-
tale. Secundum, & tertium
tunc ſunt venialia quando infa-
mia, vel infidelitas eſt in re levi;
ſecus ſunt mortalia, cum obli-
gatione reſtitutionis famæ
damnique ſecuti.

2 Dixi (primum ſemper eſt
mortale) materia enim Sigilli
parvitatem non habet, exom-
nium ferè *b* ſententia Solum in-
venio Sa, *c* cui ex parte favet Le-
deſma *d* & Sotus *e* ſic dicentes:
Revelare aliquid leve confeſſi-
onis, modo ſit peccatum, qui-
dam putant eſſe mortale, quod
mihi durum videtur.

3 Quantum ad pænam, Nul-
la nunc pæna confeſſione pa-
facienti eſt in iure lata: *f* ſolum
in cap Omnis utriuſque ſexus
pænitentia dicitur: Revelare
de-

b *Apud Dian. p.5 tr.5 reſ.8*
c *Sà v. Conf. n. 24. in imp. genuina.*
d *Ledeſ. ap. Dian. ib.* e *Sotus apud eundem.*
f *Coninch d. 9 de pæn. du. 4. n 70. Dian p.5 Tr. 11. reſ 51 aliique*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

debet deponi à Sacerdotio, & in arctum Monaſterium detrudi. Quæ cum ſit pæna ferenda, ei, quis non niſi poſt Iudicis ſententiam, ſubiacebit: atq; hæc quidem pæna; quæ certè eſt ordinaria, uni Confeſſario imponitur, ſi hac in re delinquat, ceteris erit extraordinaria à Iudice, pro qualitate criminis, taxanda, ut in ſuperioribus c. 4. num 5. inſinuavimus.

# FINIS.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN